

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 93. (*Neovidensis* 1805. Nro. 96.)

---

*Ex Campis Elysiis*

*Sermo Politicus*

De insolentia in prospera fortuna.

---

Elysium -- Meum. -- Die Martis 17. Dec. 1805. (Neov. 29. Nov.)

---

Sententia:

Res sacra — Miser.

*Rara virtus.*

**R**es est a principio mundi experientia comprobata, neminem esse ante mortem beatum. Sit quis in hoc vitæ curriculo semper fortunatus, sit in omnibus suis designationibus albæ gallinæ filius, traduxerit dies vitæ in abundantia usque ad summam voluptatem, ejus tamen conditio fuerit tandem comiseratione digna, est necesse, nam continua fortuna est verum infortunium, ejus enim in fine, sicut omnium rerum in orbe terrarum nos tædium capit.

Sed forte nunquam fuit aliquis in hac miseriarum valle, nec erit unquam, cui fortuna semper, & in omnibus ejus propositis arrisisset. Experientia nos docet, multos,

qui ad summum fastigium pervenerant, modo ad humilem conditionem esse præcipitatos. Nolumus uti exemplis, sunt illa præ oculis, in recenti memoria.

Turbulenta tempora pariunt ejusmodi non prævisas, & violentas conversiones. Homini, qui in omni genere felicitatis vivit, cui omnia suppetunt, & qui, ut ita me exprimam, insolenti cum gaudio de felicitate triumphum canit, forte odiosæ erunt seriæ, & morales hujus generis cogitationes, & non suo tempore prolatae, verum ille ex historia potest edoceri, summos viros ingentia usque ad cælos posuisse ædificia, quæ providentia disflavit, eaque coruerunt, uti charitacæ domus, quas pueri struunt.

Infelicitas pertinet ad naturam humanam; invenitur illa in omnibus vitæ casibus, & in omnibus hominum classibus, & tamen persequimur infelicem, avertimur ab eo oculos, vel ipsum despiciamus. Plerumque facimus illi acerbas, & immeritas exprobrationes. Poëtæ narrant, Herculem liberato Prometheo, qui naturam humanam repræsentat, in vase testaceo trajecisse mare. Hæc est imago audaciæ, quæ in fragili corpore proceritas mundi transcendit. In honorem hujus fragilitatis dicat omnis: *Res sacra miser, Infelicitas est sacra res.*

Profecto bellum est magnum infortuni-

um; sed, si cogitemus, illud geri ad restituendum in Europa æquilibrium, illico unicuique occurrit quærere: quid est æquilibrium? — Europæus Inspector Ruffher dictus, sequentem hac de re suppeditat animadversionem,

Magistri juventutis, Concionatores, Scriptores, verbo: omnes, qui homines educare, docere, & emendare conantur, summam operam in eo collocant, ut æterna pax reducatur, quos autem fructus usque hodie tulit omnis earum contentio? Bella, hæc generi humano inurunt ignominiam, Respublicas evertunt, provincias vastant, & homines reddunt pejores. Hoc seculum vocatur illuminatum, philosophicum, & decem annis pugnavimus contra opiniones, quæ tamen inexpugnabiles sunt, cuncti bellatores domum reversi sunt, quin hostem debellaverint. Novum dein exortum est bellum, ut politicum in Europa æquilibrium conservetur. Sed quid venit nomine hujus æquilibrii? Potentia regnorum consistit in multitudine civium, & amplitudine territorii. Quo pluribus quis modis potest opposita percurrere obstacula, eo plures species tenet violentiæ; Illi integrum est difficultates superare viribus physicis, intellectualibus, & moralibus. Doctus præ indocto est fortior, quod plura noscat media tollendi impedimenta. Morali doctrina imbutus audentior est sensuum illecebris assueto, ille etenim sublimiori ducitur motivo;

quam sit vita, quam tantum ut medium im-  
plendi officii æstimat. Cum itaque homines  
tam diversis polleant viribus, & variis modis  
sciant se ex occurrentibus extricare difficul-  
tatibus, quæ species potentiaæ intelligenda  
est, dum politicum æquilibrium nominamus?  
Sola hominum copia Reipublicæ non tribuit  
fortitudinem, debent adesse etiam intellectua-  
les, & morales vires; efficiendi autem facul-  
tas fundata in rebus præternaturalibus nequit  
in calculum vocari. Quis determinet, quid  
possit religiosus, aut moraliter politicus enthu-  
siasmus, quamve habeat rationem tali ardore  
percitus ad frigidum suorum commodorum  
sectatorem? Et quia subditi omnium regnorum  
comparate ad suam intellectualem & moralem  
conditionem diversi sunt, quis explicabit,  
quantum unus Status altero potentior, sit?

Sed nec sola magnitudo territorii auget  
potentiam, sed cumprimis ejus situs, ferti-  
litas, & cura agrorum. Cum ergo tellus  
admittat emendationem, ejus fructus possint  
multiplicari, & perfici, hinc quoque crescut  
vires imperii. Unde inferre licet, politicum  
æquilibrium situm esse in elementis, quorum  
vires partim nulla ratione queunt supputari,  
partim in summo gradu mutabiles sunt. Ejus  
magnitudo manet indefinita, quapropter finis  
belli propterea gesti nunquam potest obtineri,  
siquidem politici æquilibrii vires nequeunt  
defigi, nam perpetuis mutationibus, acces-  
sionibus, & decessionibus sunt obnoxiaæ.

Vires hominis non cadunt sub calculum; tempora magnarum conversionum excitant in illo efficacitatem, cui nequit resisti. Moralis utilitas erga certam rem in ipso comota est in exhaustus fons heroicorum factorum, quodsi ad moralem inflammetur enthusiasmm, nec obstacula, nec pericula, nec mortem curat, tunc illi fixum est vincere, aut mori, & quod nequeunt centeni, milleni perficiunt. Æquilibrium politicum optime convenit machinis, quarum vires numerari possunt, non vero hominibus, qui sensibilibus, & insensibilibus viribus, quas nemo mortalium assequitur, præditi sunt.

Quantum autem adferat infortunium ob hoc æquilibrium initum bellum, describunt privatæ litteræ ex classe Collingwoodiana Londinum missæ.

Gallicus Admiralis Villeneuve, qui pone me stat, vix potest sibi persuadere, se esse victum. Nunquam vidi hominem in tanto dolore, & desperatione. Ultimum signum, quod Dux Nelson per Telegraphos dedit, ita sonabat. *Anglia confidit, quemlibet faciurum suum officium.* Præfectus navis Harby, in cuius sinu magnus ille Heros mortem oppetiit, monuit eandem, deposita sua stellis, & ordinibus ornata veste, aliam communem indueret, at ille noluit tempus perdere; Quare facili negotio poterat distingui, ideo ex specula nautica ad malum Sanctissimæ Trini-

tatis trajectus est, idem evenit ejus etiam Secretario. Mirabile! eadem die hæc victoria relata est, qua Generalis Mack suam Capitulationem subscripsit. Sequens relatio, uti nostræ ephemerides asserunt, est certissima; Circa medium præteriti mensis acceperat Admiralis Villeneuve mandatum Parisiis, ut ante 21. Octobris excurreret ex portu Gaditano, certum quoddam Imperatoris consilium effectui daturus. Scivit ille Admiralem Louis cum aliquot navibus a portu Gaditano dimissum esse, & ideo judicavit Anglicam potentiam nonnisi ex 20 navibus constare, sed ignoravit, statim post abitum Admiralis Louis advenisse suppetias. Dux Nelson erat bene informatus de omnibus Admiralis Villeneuve submissis mandatis, & intentionibus, erat itaque paratus ad præliandum. Sed etiam supremo classis unitæ Præfecto constabat, Nelsonem præesse hostili classi portum obsidenti. Quapropter utrique parti prævisus fuit conflictus. Unita classis volebat navigare in mare mediterraneum, in via sibi adjungere classiculam Carthaginensem, intrare tandem portum Felonium, ut ibidem existentibus navibus aucta præpediat expeditiones ex insula Melita, vel Corcyra. Dux Nelson nil aliud optabat, quam ut unita classis ex portu egrederetur; hac de causa simulabat se debiliorem, quam re ipsa fuerit. Nunquam constitit ante portum cum tota sua classe, unam celocem permisit ante ostium portus, inde in certa distantia collo-

caavit forte 7 vel 8 naves de linea. Ipse cum reliqua parte classis morabatur ad promontorium S. Mariæ, sed per celoces conservavit communicationem cum Gadibus. Sic ille poterat & alimenta obtinere, & auxilia, quin de his certior fieret hostis, cui nunquam erant notæ omnes Nelsonis vires; Imo discedente Admirali Louis cum 7 navibus, judicavit Villeneuve Nelsonem summum forte numerare 20 navigia.

Nelson cum sua prætoriam navi ad hispanicam prætoriam Sanctissimæ Trinitatis satis prope appropinquans jussit eam huic firmiter alligari, quò in opere. (*ita ephemerides Londinenses*) ad mandatum Hispanici navis Præfeti adjutores habuit ejus homines. Quo factò enata est terribilis pugna ex tormentis, & sclopis, duravitque intervallo 4 horarum, quo tempore cum malacia fuerit, quilibet globus intentum produxit effectum. In S. Trinitate satis cito observata fuit mors Nelsonis, unde ingens gaudium — Galli, & Hispani dimicant fortissime.

Ipsa etiam elementa minantur infelicitatem. Legimus in publicis novis Roma de 9, hujus: Romanus Pontifex, qui dies autumnales transegit in castello Gandolfiano, ultimis elapsi mensis diebus Romam rediit, ubi diversis præterita hebdomade habitis sacris cæremoniis interfuit.

Secundum rumores Neapolitanos die 13. prioris mensis ibi iterum observatus

fuit terræ motus; urbs quidem Metropolis nullam damnū passa est, at Capuæ, Nolæ, & in aliis vicinis locis complura ædificia rimas egerunt; duabus diebus tardius, id est 15. Vesuvius denuo erupit.

*Herbipoli 26. Novembris.* Die 24. hujus mane, Serenissimæ Principes Augusta, & Carolina, uti etiam Serenissimus Dux Carolus hinc Monachium concesserunt. His diebus etiam Serenissima conjux Electoris se Onoldino Monachium versus itineri accinxit.

Tempus appropinquat, dicunt hodie hujus loci ephemerides, quo in terra germanica magni eventus, majores adhuc, quam hætenus acciderunt, evolventur. Præmaturum foret explicare, quod eventurum est, sed in præsentibus latet germen futurorum.

Publici nuncii Brunenses de 15. hujus sequentia complectuntur: Noster Imperator, Imperatrix, omnes Austriaci, & extranei Ministri sunt hic; hodie etiam Imperator Russorum expectatur.

Interea dicuntur Galli horum propere, ut secūdi russici exercitus conjunctionem præpediant, intra tres dies possunt adesse. Omnes diffugiunt. Russi dimicant strenue, hoc tantum dolendum, quod non sint satis fortes.

*Francofurto 27. Novembris.* Comes Kobenzel, Austriacus in Aula Gallica legatus nudius tertius huc appulit.